

TIT VIII.

DE NOXALIBUS ACTIONIBUS.

Non tantum ex contractibus filiorumfamil.
& servorum patres dominive obligantur,
sed & ex delictis.

Quomodo igitur domini ex maleficiis servorum obligantur?

SI servi noxam, id est, delictum aliquod privatum, commiserint, ut puta furtum, vel bona rapuerint, vel damnum dederint, vel injuriam alicui fecerint: (1) tunc enim domini noxalibus actionibus tenentur. Dico privatum: nam publicum delictum faceret teneri ipsos servos in suo corpore, neque enim fert ratio tum in dominos agi, & alieno nomine alium in corpore affigi.

Cur noxali actione dominus tenetur, & ad quid?

Quia cum servus non possit conveniri, neque interesse iudicio, neque bona habeat unde satisfaciat actori, æquum visum fuit, ne delictum servi maneret impunitum, usque consulere ei, qui infortunium accepit, noxali actione obligari dominum, & quidem in solidum. (2) Quod tamèn ita temperatur, ut liceat domino, dedendo servum noxæ (id est, tradendo corpus servie, quod nocuit, poenæ loco, & in vindictam damni) ei, cui nocuit, defungi, atque evitare litis æstimationem:

(1) L. 2. C. de accus. (2) §. 1. h. t.

nem: (1) quia æquitas non patitur, ut nequitia servorum ultra ipsorum corpora, seu æstimationem, dominis sit damnosa: *Eligendo ergo hæc est, quod minimum habet iniquitatis.*

Quid, si domino volente, aut sciente, servus damnum dederit?

Eo casu dominus amittit, facultatem dedendi, servum noxæ: & convenitur ad integram totius litis æstimationem, detracta noxæ deditione: (2) & non solum, si jusserit damnum dari, sed & cum sciret, nec prohibuerit, cum posset, quia ipse dominus videretur deliquisse: *Is enim damnum dat* (inquit Paulus) *qui jubet dare: ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse sit.* (3) Itaque servus ipsa necessitate potestatis excusatur. (4) At non in omnibus rebus, sine poena domini dicto audiens esse debet, nam si atrox crimen servus commiserit, puniri debet, quamvis jussu domini id fecerit: tantum enim in levioribus delictis quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, servus ignoscitur, si dominis obtemperaverit.

Quid, si domino insciente, aut prohibere nequeunte, servus deliquit?

Noxali iudicio dominus convenitur, qui si noxæ maluerit servum dedere, nihilominus ultra debitorem tenetur in quantum ad eum ex delicto servi per-

(1) L. 2. C. h. t. l. 20. ff. de R. I. (2) L. 2. 3. & seq. ff. h. t. (3) L. 169. ff. de R. I. (4) L. 20. ff. de oblig. & act. l. 157. ff. de R. I.

pervenit. (1) Quia æquitas non patitur, ut quis alieno scelere dicitur. Quid, si prohibere non potuerit: ut, si servus, ad libertatem proclamans, domino sciente faciat, aut qui contemnat dominum, vel cum trans flumen sit servus, vidente quidem, sed invito domino noxam faciat, noxaliter tantum dominus tenebitur. (2) Hinc pertinet illa juris Regula: *Culpa caret qui scit, sed prohibere non potest*. Et ut alia exprimitur: *Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest*.

Quid juris, si servus noxæ deditus, quasita pecunia damnam domino resarcitur?

Favore libertatis, & quia novus dominus nondum jure Quiritum plenum acquisivit dominium, manumittitur, auxilio Prætoris, etiam invito novo domino, quia tunc neutri fit injuria: (3) non priori domino, quia servum adjecit: non posteriori, quia damno resarcito, nihil est, quod amplius desideret. (4)

Sed unde resarciet servus?

Licet nihil proprium habere possit, quia omnia domino suo acquirit: potest tamen de victu suo parte, & peculium comparare, ventre defraudato: aut etiam aliunde spe manumissionis mutuum pecuniam sumere, promittendo, se cum manumissus fuerit, restitutum.

Unde descendunt hujusmodi noxales actiones?

Partim ex Jure Civili, partim ex Edicto Prætoris:

(1) L. 3. & A. C. & L. 4. ff. b. t. (2) L. 30. & l. 109. ff. de R. I. (3) §. Dominus. (4) Cujac. l. 13. obs. c. 9.

ris: atque hinc alia Civiles, alia Prætorie. (1) *Civiles* sunt, actio noxalis furti nec manifesti, quod vindicatur lege xi t. Tabb. & actio noxalis damni injuriæ, quod vindicatur lege Aquilia: *Prætorie*, actio noxalis furti manifesti, cujus poena cum L. xi t. Tabb. esset corporalis, eam Prætor in pecuniariam quadrupli convertit: item actio noxalis injuriarum, & vi bonorum raptorum.

Adversus quem dantur?

Dantur adversus eum, qui servum potestate retinet, quia tamdiu ejus dedendi facultatem habet. (2) Unde etiam in successores hæ actiones dantur jure tamen domini, non jure successionis. Proinde, si servus in alterius coeperit esse potestate, cum illo incipiet esse actio: quia *noxæ caput sequitur*, id est, poena irrogatur ei, qui est caput servi. (3) Ideoque convenitur dominus, qui fuit tempore institutæ actionis: non qui fuit tempore delicti commisi.

Quid, si manumissus fuerit servus?

Tunc ipse conveniri poterit ex suo delicto, utpotè jam liber homo, & qui in judicio consistere possit: (4) & hoc casu fit directa actio quæ prius fuerat noxalis. Verumtamen ex contractu in servitute inito, conveniri servus post manumissionem non potest: (5) quia non tam ipsius, quam nomine domini inicitus videtur, cujus commodum solum spec-

ra-

(1) §. Sunt autem. (2) §. Omnis autem. l. pen. §. ult. ff. de noxal. act. (3) L. 28. ff. de fur. (4) *Vers. at si manumis.* (5) L. 1. c. An servus ex suo facto.

tabat. Inspecitur & hic tempus contractus celebrati. (1) Ita ut, quod tum servus egit, proficere ipsi manumisso non possit, extende, ut nec ei noceat.

Quid, si servus domino suo noxam commiserit?

Actio tunc nulla nascitur, quia inter dominum, & eum qui in ejus potestate est, id est, servum, nulla obligatio nasci potest, & consequenter nec actio. (2) *Cur ita?* quia ipse dominus secum litigare videretur. (3) Quod procedit, etiamsi in alterius potestatem pervenerit servus ille, vel manumissus fuerit: ut nequè cum eo, in cujus nunc potestate est, nequè cum manumisso agere possit, eo quod statim ex ipso facto nascatur obligatio, nequè ex post facto vires sumat. (4) Est enim regula: Quod ab initio non subsistit, postea casu quodam non convalescere. *Potesne paterfamil. ex delicto filii conveniri noxali actione?*

Olim poterat, & dedendo filium noxæ liberabatur: nam vitæ & necis potestas, imò, & alienationis jus, patri concedebatur. (5) Sed sensim duram illam potestatem, asperitatem in liberos, respuendam duxit nova & mitior hominum conversatio, maxime in filiabus, causâ pudicitie: Hæc enim quam maxime mulieres exornat. Itaque filiifamil. ex suis ipsi tam delictis, quam contractibus, conveniri possunt: & post filii condemnationem in patrem dirigitur de peculio actio. (6) TI-

(1) L. 146. ff. de R. I. (2) §. Si servus. (3) L. 4. ff. de judiciis. (4) L. 29. ff. de R. I. (5) L. 11. ff. de lib. & possib. l. 2. C. de patrib. qui fil. suos distr. l. 53. de noxal. l. 57. ff. de jud. (6) L. 3. §. 11. ff. de pecul.

TIT. IX.

SI QUADRUPES PAUPERIEM
fecisse dicatur.

Quid juris, si non servi delinquant, sed quadrupes in dominio alicujus constituta pauperiem faciat?

SI animal lascivia, fervore, aut feritate, contra naturam sui generis & non instigatum ab alio, pauperiem fecerit, noxalis actio L. XII. Tab. prodita est, qua tenetur dominus, vel æstimationem damni dati præstare, vel animal, quod noxam dedit, noxæ dedere: (1) putà, si equus calcitrosus aliquem calce percusserit, aut bos cornu petere solitus, cornu petierit.

Quid vocas Pauperiem, & qua est actio de pauperie?

Pauperies est damnum sine injuria facientis datum: nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu & ratione caret. (2) Atquè, ut his irasci dementis est, quæ anima carent, sic & mutis animalibus: nam nulla est injuria, nisi à consilio profecta. Quia tamèn præstari damnum ejusmodi ab eo, qui dedit, æquum est, merito datur læso *Actio de pauperie* adversus animalis dominum, non cuius fuerit animal, cum noceret, sed cujus tunc est: nam & in quadrupedibus noxa caput sequitur.

Quan-

(1) *Tex. b. in pr. l. 1. §. 6.* (2) *Tex. b. diff. l. 1. §. 3. & 12.*

Quando cessat hæc actio?

Cessat I. Si animal instigatum ab alio fuerit, percutiente fortè, hic enim in factum actione ex L. Aquilia tenetur. (1)

II. Si quadrupes ob culpam mulionis, aut plùs plus onerata, in aliquem onus everterit.

III. Si pecudes alienam segetem depascantur, quia sic non contrà naturam suam damnum dant: sed L. Aquilia agetur, si dominus pecudes immiserit: aliàs in factum actione. (2)

IV. Si naturalis fuerit bestie feritas, eaque è custodia domini elapsa nocuerit, quia tunc demùm in naturali feritate videtur esse: secùs si nocuit, cum eam dominus possideret.

V. Si arietes, vel boves ad pugnam se commiserint, fueritque occisus aggressor: (3) sin verò is qui non provocaverat, perierit, dabitur actio.

Quid juris, si quis in publico feram habeat, vel canem, qui noceat?

Si utiquè in publico, qua vulgò iter fit, aliquis canem, verrem, aprum, ursum, leonem habuerit, eoque damnum datum sit, tunc ex Edicto Edilitio prodita est actio noxalis in dominum ad ducentos aureos, si homo liber occisus fuerit: (4) sin læsus, damni æstimatio iudicis permittitur arbitrio, cum liberi hominis nulla sit æstimatio. (5) Quod si

(1) *Diff. l. 1. §. 4. 7. (2) L. 40. ff. ad L. Aquil. & l. ult. c. cod. l. 14. §. fin. ff. de præst. verb.*
 (3) *§. 1. b. (4) §. Caterùm (5) L. 41. ff. de Edilit. actiõ.*

si aliis rebus nocitum sit, æstimatio est in duplum damni dati. (1) Interdùm pro modo admissi extrà ordinem animadvertitur in eos, qui feras hujusmodi, quæ nocere possunt, circumferunt, si cui ob earum metum damnum datum sit.

Præter hæc Edilitias habent locum actio de pauperie?

Habet; quia numquàm actioes, præsertim panales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit. (2) Numquàm enim plura delicta concurrentia faciunt, ut illius impunitas detur, nequè delictum ob aliud delictum minuit pœnam. Reipublicæ namque interest, ne maleficia sint impunita. (3) Imperator hic liberum reliquit ei, qui damnum passus est, utrùm actione noxali, an ædilitia experiri velit: sed si vel hæc, vel illa usus, & æstimationem damni nactus fuerit, cessabit altera.

TIT. X.

DE IIS, PER QUOS AGERE POSSUMUS.

De actionibus & natura earum, satis superque dictum est; sequitur de exercitio, & per quos agere, aut defendere liceat.

Potesne agere quilibet aut suo nomine, aut alieno?

SUO nomine potest quilibet agere, seu iudicio experiri, non tantùm persequendo, verùm etiam

Mm

dc-

(1) *L. fin. ff. de extraord. crimin. (2) §. Fin. b. l. l. 30. ff. de R. l. l. 32. 35. & 61. ff. de oblig. & act.*
 (3) *L. 2. §. 1. ff. de privat. delict.*

cedendo, cum cuilibet sui sit concessa defensio.
 (1) *Alieno nomine*, olim agere non licebat, quia actus legitimus, ut iudicium, non poterat per alios expediri, nec solemnitas actionum patiebatur actionem per alium, quam per ipsum actorem proponi.
 (2) Hodie verò licet & suo & alieno nomine experiri in iudicio.

Nomine & olim licuit aliquando alieno nomine agere?

Licuisse constat, quatuor ex causis. I. *Pro populo*, sive pro jure publico, interveniebat Syndicus. II. *Pro libertate*, seu servo ad libertatem proclamante, agebat Assertor. III. *Pro tutela* seu pupillo, Tutor. (3) Idque receptum erat favore populi, libertatis, & ætatis pupillaris: tùm etiam, quia populus, servus, pupillus, in iudicio non poterant stare. IV. *Pro absentibus* Reipubl. causa, vel apud hostes, ex L. Hostilia intervenire quilibet poterat: idque idcò, ne indefensæ relinquerentur res absentium, vel pupillorum. (4) Hinc generaliter publicè utile visum est, absentes à quibuscumque defendi.

Per quos hodiè alieno nomine agi potest?

Per procuratorem, tutorem, curatorem: (5) quia nonnumquam morbus, & ætas, nimirum iudicii & consilii infirmitas, & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ hominibus impedimento sunt, quominus ipsi rebus suis superesse possint. Itaque necessitas usum procuratoris in-

tro-

(1) Text. in pr. (2) L. 23. ff. de R. I. (3) L. 1. ff. quod cuiusque univ. nomine. (4) L. 33. §. 2. de proc. (5) §. 1. b.

troduxit, per quem agatur & excipiat. (1)

Quis ergo dicitur Procurator?

Qui aliena negotia mandato domini administrat. Quæ definitio generalis est continens etiam eos, qui extrà iudicium negotia aliena administrant: sed hic specialius sumitur procuratoris nomen, pro eo, qui litem persequendam, aut defendendam suscipit.

Quomodò constituitur?

Nequè solemnibus verbis, nequè re, vel litteris, nequè præsentè adversario, imò plerumquè eo etiam ignorante: quia nihil interest, ipse per se dominus litiget, an per alium. Solo itaque mandato domini opus est, quod nudo consensu contrahitur.

Quis constituitur procurator potest?

Quilibet non prohibitus. Prohibetur verò in primis *Fœmina*: quia procuratoris virile officium est, à pudore sexus illius alienum. (2) *Miles*, ne avocetur ab exercitiis militaribus: nisi in rem suam, aut cohoreis nomine agat. *Reus criminis*, antequàm purget innocentiam suam. *Servus*, quia is iudicio interesse non potest, quamvis ad negotia rectè constituitur. *Furiosus* ob animi vitium. (3) *Minor*, ob ætatem, & beneficium restitutionis, quod minoribus datur: alienis tamèn causis, præcedente mandato, rectè præficitur, qui major est annis 17.

Mm 2

ne

(1) L. 1. §. pen. ff. de procur. dict. l. 1. (2) L. 7. 9. 18. C. de procur. & l. 54. ff. eod. & l. 51. l. 1. §. 5. ff. de postul. (3) L. 23. ff. de minorib. dixi sup. ad §. Justa. Cui & quibus ex caus. manum.

nec restituitur dominus ex persona procuratoris minoris: sibi enim imputare debet, quod minori, rebusque gerendis minus idoneo, causæ suæ curam commiserit.

In quibus causis constitui potest?

In omnibus causis civilibus, quibus dominus interesse non potest, aut non vult. (1) Regulare autem est, quod in criminalibus requiratur ipsius Rei præsentia. (2) Frustrâ, inquit J. C. ad crimen publicum persequendum procurator intervenit. Et hoc, si crimen tale sit, pro quo imponi solet poena corporalis, secus ex ejusmodi sit causis, ex quibus subsequi solet poena civilis, cum hanc etiam quis absens luere possit in bonis.

Quandò rectè constituitur?

Tam post litis contestationem, quam antè. Imò & procurator post litem contestatam pro se constituere alium potest: non autem antè. (3) Nam post litis contestationem procurator fit litis dominus: non etiam ille, quem ipse procurator substituit, cum talis non sit litem contestatus, & proinde non contraxerit.

Potestne revocari Procurator?

Antè litis contestationem potest à domino pro lubitu revocari: nisi in rem suam datus, qui loco domini habetur. (4) Post litem verò contestatam, quia res integra esse desiit, cum procurator jam

fac-

(1) L. pen. ff. de publ. jud. (2) L. 15. C. de accus. (3) L. 8. 12. & 23. C. de procur. (4) L. 16. & seqq. ff. de procur. l. 22. C. cod.

factus sit litis dominus, non nisi ex justis causis potest revocari: quia talis remotio oneraret ipsius pudorem, & existimationem læderet.

Quid ex parte Procuratoris potissimum requiritur?

Ut habeat mandatum domini constituentis. (1) Nam si illud non potest exhibere, aut de eo fidem facere per alia documenta, non admittitur: utcumque de rato cavere sit paratus. Quin & post litem contestatam, si falsus procurator inveniatur, judicium erit nullum. Sanguinis tamèn conjunctio facit videri mandatum, si de mente contraria non appareat. Estque effectus hujus mandati, quod domino constituti & mandanti factum procuratoris prosit & noceat, cum per alium faciens per se facere videatur, & hoc, si mandati fines sint servati.

Quid differunt Procurator, Defensor, Advocatus, Actor, Syndicus, Delegatus, Legatus?

Procurator, dicitur actoris, vel rei, cum mandato. *Defensor* solius rei sine mandato. *Advocatus* qui desiderium suum, vel amici, agendo vel defendendo, exponit ei, qui jurisdictioni præst: vel alterius desiderio contradicit. *Actor* est, qui constituitur à non domino litis, veluti à tutore vel qui à collegio ad certa negotia constituitur. *Syndicus*, qui ab universitate ad universa negotia datur. Cui similis *Delegatus*, qui ad comitia, vel Principem, à Rep. mittitur. *Legatus* verò qui à supremo Principe ad eum, qui pari potestate præditus est, peregrè mittitur, ut publicum negotium agat.

Mm 3

TIT.

(1) L. 24. C. di. 1. & l. 35. ff. cod.

TIT. XI.

DE SATISDATIIONIBUS.

Satisfactiones ideo necessariae sunt, ut iudicia, maxime si per alios exercentur, sortiantur effectum, qui per improbitatem actoris, vel rei, aliove modo, impediri atque eludi poterit.

Quid igitur est Satisfare, & Satisfatio?

Satisfare nihil aliud est, quam adversarium suum securum facere de eo, quod in iudicium venit. (1) Et satisfatio est cautio, qua adversarium securum facimus pro eo, quod à nobis petit, datis fidejussoribus, aut pignoribus. (2) Quamvis interdum & nuda repromissio, vel cautio juratoria, sufficiat, si nimirum ea contentus fuerit adversarius.

Quotuplex est?

Duplex, *Judicialis*, & *Extrajudicialis*. De *Judiciali* hic sermo est, cujus tres sunt species. I. *Judicio sisti*, id est, quod usque ad exitum litis reus in iudicio permanebit. II. *Rem ratam haberi*, id est, quod is, cujus nomine lis suscepta est, raptum sit habiturus omne, quod gestum erit. III. *Judicium solvi*, id est, quod litis praestabit aestimationem.

Quo-

(1) L. 1. ff. qui satisfacere cog. (2) L. 61. ff. de verb. sign.

Quomodo olim interponebantur ejusmodi satisfactiones?

Aliter in *Judicio reali*, aliter in *personali*; aliter ab *actore*, aliter à *reo*, aliter ab *utriusque procuratore*.

Actor non cogebatur satisfacere, sive *reali*, sive *personali* actione experiretur: (1) sed tantum *Reus* conventus actione *reali* satisfacere, ne forte interim corrumpere, vel alienare rem. At conventus actione *personali* satisfacere non tenebatur: quia ejus persona *actori* esset nota, & nominatim obligata.

Procurator sive *defensor Rei*, praeter solitam cautionem *Judicatum solvi* etiam cavere debebat, *Rem ratam dominum habiturum*: at in *personali* actione cavebat *Judicatum solvi*, non de *rato*. (2) Contra *actoris procurator* solum de *rato* cautionem praestabat.

Quid haec in re jure novo observatur?

Quod conventus *Reus*, sive *personali*, sive *reali* actione non satisfacere, *Judicatum solvi*, sed tantum *Judicio sisti*. (3) id est, quod in iudicio permanebit usque ad terminum litis, seu ad sententiam definitivam, nec ab eo sine *venia* recedet, & ubi succubuerit, quod impensas litis praestare paratus sit.

Quomodo ergo satisfacit Reus?

Pro qualitate personae: quippe talis debet admitti satisfatio à *reo*, qualis praestari potest. Qui enim aliam sufficientem per fidejussores idoneos non possunt praestare, satisfaciunt praestando cautionem *ju-*

Mm 4

ra-

(1) *Tex. l.* (2) L. 39. §. 1. ff. de noxal. act. l. 40. §. 1. ff. de procur. (3) §. Sed hodie.

ratoriam, vel nudam repromissionem. (1) Juratoriam quoque præstant viri Illustres, ex speciali privilegio, & nudam promissionem, qui immobilia legitime possident, si illa tanti sint pretii.

Quomodo satisfacat Actor?

Si suam ipse actionem instituat, non satisfacat, nisi quod intra duos menses à libello dato litem contestabitur, & eam prosequetur usque ad exitum, & decimam partem quantitatis, quam petit, vincenti expensarum nomine persolveret. (2) Nota, quod, *Ubi lex duorum mensium, facit mentionem, si quis sexagesimo primo die fecerit, aut agere ceperit, audiendus sit.*

Quid, si Actor per procuratorem litem inferat?

Cogitur procurator satisfacere de rato, nisi vel mandatum exhibuerit, & actis insinuarit, vel à domino presente in judicio constitutus sit. (3) Quid enim opus est cautione, ubi constat de voluntate domini, qui dum per procuratorem litigat, ipse litigare videtur?

Quid juris est in procuratore Rei?

In eo non perinde simpliciter nuda sufficit confirmatio, ut in procuratore actoris: sed requiritur, ut procurator rei absentis satisfacere de Judicato solvendo, sive mandatum habeat, sive non habeat. (4) Cum nemo alienæ rei, seu litis idoneus de-

(1) L. 15. ff. qui sat. cog. (2) Auth. libellum C. de lit. contest. Auth. generaliter C. de Episc. & Cler. l. 101. ff. de R. I. (3) §. Si autem. l. un. C. de satisd. (4) §. Si verò aliquis l. 101. §. 1. ff. de R. I. 46. §. 2. ff. de procur. l. 5. quibus ex caus. in poss. catur.

defensor sine satisfactione intelligatur. Fit mentio rei alienæ, quoniam si quis ipsemet suam litem defendat, satisfactio hujusmodi non est necessaria.

Quid, si præsens sit Reus?

Ipse sui procuratoris fidejussor existet, & cautionem præstabit Judicatum solvi, oppignatis quoque in eam rem bonis suis: (1) denique promittet, se in judicio comparaturum tempore sententiæ recitandæ: qui si non compareat, dabit omnia fidejussor, quæ in condemnatione continentur, nisi fuerit provocatum.

Satisfactioni cur adstringitur defensor, etiam locuples?

Quando quis defendendi causa, sine mandato, accedit, quia nihil ad eum lis ista pertinet, periculum est, ne si condemnatio sequatur, nullius sit effectus, utpotè quia non sit de re ejus, qui litigavit, aut saltè, ne noceat reo principali, & sic illusoria fiant judicia: idcirco receptum, ut qui rem alienam defendit, & se quasi alteri adversarium constituit, etiam prædives, consularis, & maxima dignitate præditus, *numquam satis locuples habeatur*, ut immunis sit à satisfactione judicatum solvi, etiamsi mandatum proferat, nisi dominus pro eo satisfacere dederit. (2)

Quis est hujus satisfactionis effectus?

In primis, quod reus, qui abest, videatur esse præsens, & qui cum defendit, cautione præstita, ejus causam & personam repræsentet, quodque is, qui defenditur, solvendo videatur idoneus:

(1) Diff. l. un. in fin. (2) L. 166. ff. de R. I.

neus: (1) & licet reverà solvendo non esset, tamèn propter inopiam domini, non liberatur defensor, sed de suo judicatum solvere cogitur.

TIT. XII.

DE PERPETUIS, ET TEMPORALIBUS

Actiõibus, & quæ in hæredes & ad hæredes transeunt.

Redit iterùm Imper. ad Actiões, quamdiù scilicet eæ durent, quibus dentur, & adversus quos.

Quæ dicuntur Actiões Perpetuæ?

QUÆ olim perpetuæ, sine ulla temporis præfinitione, proponi poterant: (2) cujusmodi sunt illæ, quæ ex aliqua Juris Civilis parte descendunt, veluti ex Lege, S. C. vel Constitutionibus, quia ut juris & legis potestas est perpetua, ita & actio per eam inducta, sequitur enim effectus causam. Sed hodiè Constitutionibus Principum, ut aliquis litium finis esset, certi fines omnibus actiõibus præscripti sunt.

Quinam sunt fines actiõibus civilibus præscripti?

Hi nempe, ut sive reales, sive personales sint actiões annis xxx. extinguantur, quo etiam referuntur actiões mixtæ, familiæ circiscundæ, commu-

(1) L. 46. §. 2. l. 51. ff. de proc. l. 25. ff. de R. I.

(2) §. 1. b.

muni dividendo, finium regundorum, & petitiõ hæreditatis, quæ itidem xxx. annis tolluntur. (1) Excipiuntur actiões in rem hypothecariæ, & quæ ad Ecclesiam pertinent, quæ annis xi. præscribuntur. (2) Ad Principem verò vel civitatem pertinentes, non nisi immemoriali tempore terminantur.

Quæ dicuntur Actiões Temporales?

Quæ anno tantùm durant: quales sunt, quas splendendi juris gratia Prætor introduxit, cujus ut annum tantùm imperium, ita & pleræque actiões ab eo introductæ sunt annales, quatenus pœnam persequuntur.

Suntne ex his aliqua perpetuæ?

Sunt: (3) veluti *Actio furti manifesti*, quamvis Prætoriana & pœnalis, tamèn perpetuæ datur. Fortè ideò, quod Prætor, post annum quadrupli pœnam timeri, publicè utile esse existimaverit: aut absurdum putaverit breviorẽ eam facere, quam fecerat leviorẽ actiõne civili, ejus pœnam corporalem, in pecuniariam commutando.

Item *Actiões rei persecutoriæ* sunt perpetuæ, quas Prætor accommodat bonorum possessori, & aliis, qui sunt loco hæredum: id est, his, quibus ex fideicommisso restituta est hæreditas. (4) Si quæ tamèn actum jure validum rescindant, uti rescissoria, revocatoria, tempore finiuntur.

Quid

(1) L. 3. 4. 5. 6. 7. C. de præsc. 30. ann. (2) Cujac. l. 18. obs. c. 26. & seq. diff. §. 1. (3) Text. h. (4) L. 35. ff. de oblig. & act.

Quid hodiè Actioibus hisce commune?

Hoc in primis, quod omnes omninò sint temporales, & si fortè ipso jure ultrà fines præscriptos actio extendatur, ea tamèn sit inefficax. (1) Præterea, quod omnes istæ actiones prorogentur litis contestatione: ita ut, semel inclusæ judicio, salvæ maneant, nec intermoriantur, antè annos quadraginta, ut infrà plenius dicitur,

Excipiunturne aliquæ?

Omninò: ut *Actio de dolo* quæ hodiè durat tantùm biennio, à tempore doli commissi numerando. (2) Item *Actio injuriarum* annalis est. (3) *Actio redhibitoria* intrà menses sex: *Actio quanti minoris* intrà annum datur. Item *Querela inofficiosi testamenti* quinquennio terminatur, computando ab adita hereditate. Similiter *Actio inofficiosa donationis, vel dotis*, quinquennio tollitur.

Quæ actiones dantur heredibus, & contra heredem?

Omnes, tam prætorix quàm civiles, reales & personales, ex contractibus vel quasi descendentes: (3) tùm quia hæredes in universum jus defuncti succedunt, ejusque personam repræsentant: tùm quia, ut is, qui contrahit, non tantùm sibi, sed etiam heredibus, cavet, ita non seipsum tantùm, sed etiam hæredes, obligat. (2)

Quid

(1) L. fin. C. de præsc. 30. vel 40. ann. (2) L. fin. C. de dolo. (3) L. 5. C. de injur. l. 12. §. fin. ff. de adil. edict. (4) §. Non autèm l. 2. ff. de probat. (5) L. 1. C. ut actiones ab her. L. 56. §. 1. ff. de V. O.

Quid autèm, si plures sint heredem?

Singuli pro portionibus hæreditariis conveniuntur personali actione: reali verò, quatenus possident. (1) Nam in rem actio tantùm, respectu sessionis in hæredem datur: qui, si non possideat, absolvitur: tamèn si quid ex persona defuncti & sua commissum sit, omninò in condemnationem venit.

Quæ actiones nequè heredibus, nequè contra heredem competunt?

In primis *Actio injuriarum*: (2) tùm quia meram persequitur vindictam, nec ullo modo minuit patrimonium nostrum: tùm quia defunctus eam non instituit, & sic dissimulatione abolevisse injuria videtur. Nisi tamèn ipso jam defuncto, ut putà ejus cadaveri, facta sit injuria, quam cum ulcisci non possit, datur injuriarum actio hæredi. Semper enim hæredis interest defuncti existimationem purgare.

Item actiones, quæ injuriarum actioni sunt similes, non dantur heredibus, quoniam hæ ad vindictam contumeliæ, non ad rei familiaris, cujus successores sunt hæredes, persecutionem spectant. (3) Ejusmodi actiones sunt tres. I. Actio in factum adversus eum, qui parentem vel patronum suum, sine Prætoris venia, in jus vocaverit. II. Actio sepulchri violati. III. Actio matris revocantis donationem, factam liberis ingratis. Fuit olim ac-

(1) L. 2. C. de iud. l. 1. & l. 42. de rei vind. (2) §. Sed. heredibus l. 28. ff. de injur. (3) L. pen. ff. de jus voc. l. 6. pen. ff. de sepult. viol. l. 7. C. de revoc. donat.

actio de moribus: sed ea hodiè esse desiit.

Quæ actiones hæredibus dantur, sed non contrà hæredes?

Dantur hæredibus reliquæ actiones pœnales, cum morte læsi non extinguatur obligatio, & impunè non debeat esse delictum. (1) Sed contrà hæredes non competunt, quia metram continent vindictam: pœna enim tenere suum debet auctorem, cum constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem constituitur, desinit. (2) Nec enim alieni criminis successor constituitur: sed unusquisque ex suo admissio sorti subijcitur.

Quid, si ex defuncti delicto aliquid ad hæredem pervenerit?

Ejus nomine hæres tenetur: (3) nam constitutum est, turpia lucra hæredibus extorqueri, licèt crimina extinguantur: si quidem ratio juris non patitur, ut quis alieno scelere ditetur. *Sicuti pœna* (inquit Pomponius) *ex delicto defuncti hæres teneri non debet: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum pervenerit.* (4) Sufficit autèm, quod vel momento pervenerit ad hæredem, ut efficaciter conveniatur, etiam si postea res perierit, nec factus sit inde locupletior. Quod aliter se res habet, cum dolus hæredis ipsius intervenit, quia tunc in solidum tenetur, uti docet Regula, *Toties in hæredem damus actionem de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti conveni-*
tur,

(1) *Dist. §. non autèm l. un. c. de delict. def. (2) l. 20. & 26. ff. de pœnis, l. 22. C. cod. l. 111. §. 1. ff. de R. I. (3) l. 5. ff. de calumn. dist. l. un. (4) l. 38. & l. 127. ff. de R. I.*

tur, non quoties ex suo. (1) Est hæc ita in actionibus ex maleficio.

An idem jus est, si actio sit pœnalis ex contractu?

Idem planè, ut in hæredem deitur actio de eo, quod ad eum pervenit, quod expressit Ulpianus, cum ait: *In contractibus successores ex dolo eorum quibus successerunt, non tantum in id, quod pervenit, verum etiam in solidum tenentur, hoc est, unusquisque pro ea parte qua hæres est:* (2) quoniam hic dolus ex contractu, reique persecutione descendit: (3) estque transfusus in jus defuncti, ejus cum hæres sit successor, in solidum tenetur, si unus tantum existat: si plures sint, pro ea portione, qua quisque hæres est, convenitur, licèt ad eos nihil pervenerit ex dolo defuncti. (4) Ita iatelligenda prædicta Regula, quæ paulò obscurè loquitur, & *In contractibus, quibus doli præstatio, & bona fides inest, ipso jure: non tamen quin etiam obtineat in contractibus stricti juris.*

An quid, si lis cum defuncto fuerit contestata?

Tunc pœnales actiones hæredibus dantur, & in hæredes: (5) quia litis contestatione, inquit Paulus, pœnales actiones transmittuntur ab utraque parte, & temporales perpetuantur: (6) Undè illa regula juris: *Pœnalia judicia semel accepta in hæredem transmitti possunt.* Et alia, *Omnes actiones, quæ*
mor-

(1) *L. 41. ff. de R. I. (2) l. 157. §. fin. ff. de R. I. (3) l. 7. §. 1. ff. depositi. (4) l. 152. §. fin. de R. I. (5) l. ult. ff. de fidejuss. tut. (6) l. 164. & l. 139. ff. de R. I.*

morte aut tempore pereunt, *semel inclusæ* iudicio *salvæ* permanent: sive in tutum rediguntur. (1) Quæ posterior regula, ad omnes actiones pertinet, quæ per mortem exspirant, ut semel contestatæ permaneant, & finiri nequeant: nisi eo tempore ab integro rursus inchoato & impleto.

At cur actiones, quæ tempore vel morte pereunt, perpetuantur, ad hæredes hæc transeunt?

Quia iudicio accepto quasi contrahitur, seu litis contestatione inducitur quædam novatio, atque ex actione temporali, vel pœnali, fit actio, quasi ex contractu, de eo, quod iudicatum erit, quæ perpetua est, & rei persecutionem continet, ideoque in hæredem transit. (2) Inducitur, inquam, novatio, cum lis contestatur, quatenus id ipsi actori utile est, non ulterius, ne iudicium quod in ipsius favorem introductum est, ut suum consequatur, ipsi noceat. (3) Actor enim, dum iudicium exercet, causam suam meliorem facere intendit: quod expressit juris Regula. *Nemo in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit.* (4) Nam post contestationem fructuum, ac reliquorum omnium, quæ habiturus erat, si res ipsi tunc restituta fuisset, ratio habetur, etiam in strictis iudiciis. (5) Atque hæc de actore.

Quæ-

(1) L. 26. & l. 35. ff. de oblig. & act. l. un. C. de pras. 30. vel 40. ann. (2) L. 3. §. 11. ff. de pecul. l. 6. §. ult. ff. de re jud. (3) L. 29. ff. de nov. (4) L. 87. ff. de R. I. (5) L. 2. l. 38. §. 7. ff. de usuris.

Queritur hæc, an reus lite pendente à iudicio absolvi possit?

Potest, si modò antè sententiam, tandèm bonam fidem agnoscens, satisfaciat actori, eique rem restituat cum fructibus, reddatque sumptus in litem factos. (1) Nam omnia iudicia sunt absolutoria, eorumque finis, ut justo desiderio cuiusque satisfiat: illo obtento, frustrà adhibentur media. Proderit autèm solvere antè sententiam, in iis maximè, in quibus nota inuritur infamiæ. Hinc qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet: juxta Regulam juris: *Nemo, qui condemnare potest, absolvere non potest.* (2) Esset enim iniquum non absolvere illum, qui amplius non debet, cum proniores esse debeamus ad absolvendum.

TIT. XIII.

DE EXCEPTIONIBUS.

Haçtenùs de Actionibus, quæ continent jus actoris: sequitur de Exceptionibus, quæ Reo competunt ad defensionem.

Quid igitur est Exceptio?

EST actionis exclusio. (3) Solet quippè actioni opponi, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum est: cum sæpè

Nn

pè

(1) §. ult. b. (2) L. 37. ff. de R. I. (3) L. 2. ff. b. t.

pe accidat, ut licet ipsa actio sit justa & in jure fundata, si per se consideretur, tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur. Ex quo apparet, exceptiones ex æquitate oriri. Unde Marcellus: *Definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam: nec ab æquitate naturali abhorrentem.* (1)

Cui competit Actio, eidemne Exceptio datur?

Comparata sunt exceptiones inquit Imperator, defendendorum reorum gratiâ, cum quibus agitur. (2) Jam verò ut favorabiliores sunt Rei quàm Actores, ita Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere, multò magis quis dixerit. Majus quippè est habere actionem, quàm exceptionem: persèpè tamèn hæc favorabilior est, causa defensionis, & personarum, quæ conveniuntur. Nam ubi petitio non admittitur, aliquid ope exceptionis consequi possumus. (3) Ac ubi admittitur tam jus actionis, quàm exceptionis, & difficilius actio datur, facilius tamèn nobis consilium, retentione, repulsione, quæ fit per exceptionem. (4)

Quotuplex est Exceptio?

Proponitur hoc Tit. duplex divisio: prima in *Civiles*, & *Prætorias*; secunda in *Perpetuas* seu *Peremptorias*, & *Temporales* seu *Dilatorias*. (5) Quibus addi possunt, & duæ aliæ, una ex Tit. proxime seq. in *Reales*, & *Personales*; altera in eas, quæ sunt *Facti*, & quæ *Juris*.

Quæ

(1) L. 66. ff. de R. I. (2) Text. b. in pr. l. 125. & l. 156. ff. de R. I. (3) L. 14. ff. de doli except. (4) L. 31. ff. de pign. (5) Text. hic in pr.

Quæ dicuntur exceptiones Civiles, & Prætorie?

Civiles sunt, quæ ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent; *Prætorie*, quæ ex ipsius Prætoris jurisdictione, substantiam capiunt. (1) Illius generis sunt exceptiones S. C. Macedoniani, Vellejani, Fori. Cujus exceptiones, Doli, Metus, Pacti conventi, & aliæ quarum hic septem species proponit Justinianus, quia celeberrime sunt cæteris.

I. *Quod metus causa*: (2) qui enim justo metu coactus promissit, stricto quidè jure obligatur ad dandum vel faciendum: quia etiã coacta voluntas, est voluntas; attamèn, quia non est liber consensus, actio intenta per exceptionem hæc inefficax redditur. (3) *Nihil enim consensui tam contrarium, quam vis, atquè metus.*

II. *Doli mali*: (4) quia opus est reo, qui dolo malo inductus fuerit ad aliquid stipulandi promittendum, ut illum agentem rejiciat. Nam actoris dolus non facit, quominus ipso jure teneatur reus, non tantum in contractibus stricti juris, sed & bonæ fidei: nisi his dolus causam dederit, cum bonæ fidei contractui nihil tam sit contrarium, quàm dolus, (5) Itaque hujus exceptionis æquitas in eo est, ne cui dolus suus per occasionem juris civilis, contra naturalem æquitatem prosit.

III. *In factum*: qua impugnat actionem is, qui errore lapsus quid stipulanti promiserit, cum

Nn 2

non

(1) §. 8. b. l. (2) Text. in pr. (3) Tit. ff. quod metus causa l. 116. ff. de R. I. (4) L. 17. ff. de dolo. (5) L. 134. §. ult. ff. de R. I.

non videatur consentire, qui errat. (1) Hæc exceptio nominatur *in factum*; quia nomine vacat; similiterque aliarum exceptiones nomine vacantes dicuntur *in factum*.

IV. *Non numerata pecunia*; (2) quia datur illi, qui futuro creditori suo stipulantur promisit, se pecuniam, quam ab ipso accepit soluturum, cum tamen numerata non sit. (3) Ex hac stipulatione tenetur quidem promissor stricto jure, sed quia iniquum est eum cogi ad reddendum id, quod numquam accepit: ideo exceptione hac se tueri poterit, contra actionem, sine causa ex stipulatione agentem.

V. *Pacti conventi*; (4) quæ datur debitori, qui cum creditore suo pactus est, de non petenda pecunia, quam ei ex civili obligatione debebat. Hic quidem obligatio ista pacto convento non tollitur, cum unumquodque eo modo tollatur, quo colligatum est: (5) quia tamen iniquum est actorem non stare conventis, & contra datam fidem à reo petere, ne reus ex hac actione condemnetur, defendat se hac exceptione.

VI. *Jurisjurandi*; (6) nam & debitor, qui creditore deferente juravit, nihil se dare oportere: obligatus manet; quia ut pacto, ita nec juramento civilis tollitur obligatio, sed naturalis tantum: quia

(1) L. 2. §. 6. ff. de dol. exc. l. 116. §. ult. ff. de R. I. (2) §. Idem juris b. (3) Dist. l. 1. §. 2. (4) §. Præterea. (5) L. 27. §. 2. ff. de pact. (6) L. 35. l. 100. ff. de R. I.

tamen iniquum est, quæri de perjurio ejus, cui sic jusjurandum delatum est, & quia Prætor tueretur jusjurandum illud, tamquam Pactum conventum, ideo, si quid perat creditor, defenditur debitor talis per exceptionem jurisjurandi: (1) contra quam concedi non debet replicatio doli.

VII. *Rei judicate*; (2) quæ competit etiam vero debitori, qui sententia Judicis absolutus est ab actione, si eam actor rursum intenter, uti potest: quia obligatio adhuc durat: quam non sustulit sententia absolutoria, quia sententia non est modus tollendæ ipso jure obligationis.

Quandò hæc exceptio locum habet?

Quandò super eadem re, inter easdem personas, ex eadem causa, lis iterum movetur, sive in rem, sive in personam; actione: (3) non enim debet de eadem re bis agi; ne judicia fiant irrita, & litium modus multiplicetur.

Quæ dicuntur Exceptiones Perpetuæ?

Quæ in perpetuum agentibus obstant, sic ut actio de eadem re numquam repeti possit. (4) Item dici possunt perpetuæ, eò quòd perpetuo tempore durent. (5) Non enim sicut actionibus intentandis certa tempora præfixa sunt, sic exceptionibus opponendis; ne quidem ex iis causis ex quibus actio temporaria est: undè tritum axioma: (6) *Quæ tem-*

(1) L. 26. 28. §. ult. ff. de jurejur. l. 115. ff. de except. (2) §. Item si in judicio. (3) L. 3. 4. & 12. ff. de except. rei jud. (4) §. Temporales. (5) L. 3. ff. b. t. (6) L. ult. c. de dolo. l. purè. §. ult. ff. de doli excep.

poraria sunt ad agendum, eadem perpetua sunt ad excipiendum. v. g. Actio de dolo duobus annis finitur, tamèn exceptio doli perpetuò competit, ac ut ita constitueretur, magna ratio est cum actor in sua potestate habeat, quando utatur suo jure, & velit experiri, non item reus, antequàm conveniatur. (1) Qua ratione justa habetur ignorantia hæredis, cum quo agitur, non autèm ejus hæredis, qui agit, ut habet juris regula.

Quæ peremptoria?

Quæ actionem omninò perimunt, sive quæ totius negotiù cognitionem tollunt, & vires ejus exhauriunt. (2) Quæ exceptiones peremptoriæ, eadem etiam perpetuæ appellantur. Qualis est, *exceptio pacti de non petendo in perpetuum*: nam ut maximè is, qui ita pepigit cum debitore suo, petat debitum, tamèn ab agendo repellitur, ubi primum pactum de non petendo opponitur. Talis quoquè est *exceptio doli mali*, quæ quidèm cum omnibus exceptionibus concurrat: (3) Quia dolo facit, qui perit, quod quaqua exceptione elidi potest. Adversùs autèm parentes, similesve personas, quibus honor debetur competere non potest. Sed in factum erit excipiendum, ut si forte pecunia non numerata dicatur, objiciaturque *Exceptio non numeratæ pecuniæ*. Potens quoquè est *exceptio rei judicatæ*, qua repellitur judicio olim victus, vel hæres ejus qui nunc eam-

(1) L. 42. in fin. ff. de R. I. (2) L. 2. C. de prec. Imper. off. dist. l. 3. (3) L. 2. §. 5. & l. 4. §. 16. ff. de doli exce. l. 173. §. ult. ff. de R. I.

eandem rem, & ex eadem causa, in aliud judicium deducit. (1) Item *exceptio jurisjurandi & transationis* similem vim habet: quam demonstrat illa Juris Regula: *Nihil interesse actionem quis habeat, an actio per hujusmodi exceptionem infirmetur.*

Quæ Temporales & Dilatoriæ?

Quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem solùm tribuunt. (2) Dictæ propterea & *Dilatoriæ*, quia differunt actionem ad tempus: qualis est *exceptio pacti ne intrâ certum tempus petatur*: (3) Et *induciarum*, quas debitores, in angustias lapsi, adversùs creditorum acerbiteratem impetrare solent. Insuper *Dilatoriæ aliæ* sunt: quæ concernunt vel personam Judicis, quia sit incompetens, aut suspectus; vel litigantis, quia Actor sit contumax, Reus impeditus, aut vocari nequeat: vel intervenientium, uti Procuratoris, quia non sit habilis propter ætatem, aut sexum, vel mandato careat, aut datus causæ, quæ procuratorem non admittat: (4) vel deniquè respiciunt actionem, uti si plus petatur, quam debitum est: si non servetur ordo in excutiendo debitorem principalem antè fidejussorem.

Quandò Exceptiones Dilatoriæ opponendæ, probandæ, que sunt?

Pleræque opponendæ sunt antè litis contestationem: (5) quia respiciunt ea, quæ judicium potissimè constituunt, personas scilicet, locum, & tempus:

Nn 4

pusi

(1) L. 112. ff. de R. I. & l. 66. cod. (2) §. Temporal. (3) L. 2. C. de precibus imper. (4) §. Præterea, in fin. h. l. (5) L. pen. & fin. h. l.

pus: adeoque constituto jam iudicio præposterè præponerentur, cum pars iis renuntiassè videretur tacendo: nisi fortè postea ex nova causa emererint. (1) Præterea probandæ sunt: antè iudicium inchoatum, ne respondendo in iudicem consentire, agentiumque personas approbare reus videatur.

Quando peremptorie?

Quandocumque, etiam post litem contestatam, sive acceptum iudicium, & antè sententiam opponi probarique possunt: cum concernant iudicium constitutum, non constituendum. (2) Nisi sint exceptiones litis finitæ, ut Rei iudicatæ, Transactionis, Jurisjurandi: quia hæ præter rem principalem, concernunt quoque ipsam instantiam. Dico, antè sententiam: nam post sententiam exceptiones non rectè opponuntur, cum nemo pulsetur.

Nullæ exceptiones post sententiam opponuntur?

Sunt, quæ nunc quoque opponi possunt, oppositæque & probatæ executionem ejusdem impediunt: qualis est exceptio S. C. Macedoniani, filiosam, mutuatam pecuniam accipienti competens, & exceptio S. C. Vellejani, competens mulieri quæ pro alio intercessit. Militi quoque post sententiam excipere est permisum: uti & donatori, marito, patrono, socio, & aliis, quibus concessum, ne in plûs, quàm facere possunt, ex condemnatione facta conveniantur.

Quan-

(1) Cujac. 9. observ. 7. 23. (2) L. 8. C. b. s. l. 2. C. sent. resc. non posse.

Quando mulieribus succurritur?

Ne is interessio noceat, succurritur, si non callidè sint versatæ: nam deceptis, non decipientibus mulieribus, Senatus subvenire voluit. Infirmas enim sexus, non autem calliditas earum, auxilium meretur; ac Regula hoc sic expressit: *Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumniantur.* (1) Calumniantur autem mulieres, quotiès decipiendi animo intercesserunt, cum scirent se non teneri, & exceptione S. C. Vellejani non adjuvantur: quia cessat mens Senatus, & quia in jure spectanda potius est æquitas, quam stricta juris ratio.

Minoribus quatenus restitutio in integrum datur?

Datur causâ cognita. In causæ cognitione, probanda est minor ætas 25. annorum: item læsio, ab ipso minore: Quod videlicet ea contingerit, inconsulta sua facilitate, seu imprudentia, quæ consuevit huic ætati esse conjuncta: nam si aliter fuerit minor læsus, cessat in integrum restitutio, quia *Non capitur, qui jus publicum sequitur*, seu jus commune, quod alius quisque coactus fuisset sequi contrahendo. (2) Præterea æstimanda erit læsio ex tempore, quo minor contraxit, non ex quo petit se restitui.

Quæ dicuntur Exceptiones Reales, & Personales, & quibus ea competunt?

Reales dicuntur, quæ rei coherent. Personales, quæ

(1) L. 120. §. ult. ff. de R. I. l. 12. 30. ff. & l. 22. & 23. C. ad S. C. Vellejan. l. 90. ff. de R. I. (2) L. 117. §. 2. ff. de R. I.

persona. (1) *Reales* autem non solum principali debitori, sed & hæredi, & fidejussori, prosunt: cum enim hic in eandem causam se obligaverit, uti exceptionibus ex ea nascentibus poterit. (2) *Personales* non accommodantur fidejussori, sed personæ ipsius Rei coherent: veluti exceptio, ne quis condemnatur ultra quam facere potest, quia concessa est intuitu conditionis ipsam personam concernentis, uti reverentiæ, pietatis, indigentia: quæ cum non sit eadem in fidejussore, ided illi non competit, tum etiam, quia suam personam, tamquam magis idoneam substituit pro persona rei principalis.

Quæ dicuntur Exceptiones Facti, & quæ Juris?

Facti seu intentionis exceptio est, quæ Actoris, nullo jure agentis intentionem excludit, ut puta ejus qui pecuniam nunquam creditam, vel si credita fuerit, semel solutam, condicat. (3)

Juris verò, quæ Actoris jus, id est actionem, excludit, ut puta ejus qui promissione, metu, dolore malo sibi facta, ad id, quod promissum est, actionem juris subtilitate sibi competentem, movet.

Potestne quis pluribus uti exceptionibus?

Potest, etiam diversis: non item contrariis, ne contradicere sibi videatur: nisi eas alternativè, aut conditionaliter proponat: ut si dicat, *Nego, me pecuniam accepisse, aut, Si accipi, dico me solvisse.* Idque Reo specialiter favore liberationis indulgetur, non
item

(1) L. 7. ff. b. t. (2) Text. in S. fin. t. seq. (3) Diff. sup. §. 1.

item Actoris: cui licet plures sint actiones, una tantum experitur. Nam Actor paratus ad judicium venit, ideoque rectè apud se statuit, quæ actione utatur: Reus verò imperatus ad judicium trahitur, cuius proindè conditio foret misera, si una tantum exceptione uti posset. (1) Igitur cum secundum naturam magis sit defensio, quam oppugnatio, poterit reus, judicio pulsatus, pluribus exceptionibus contra actorem se tueri: nisi eas proponi lex impediat, in poenam mendaciæ.

TIT. XIV.

DE REPLICATIONIBUS.

Quemadmodum Exceptio opponitur Actioni, ita Replicatio Exceptioni: & sic deinceps.

Quid ergo est Replicatio?

EST *secunda* Actoris allegatio, vel Exceptionis à Reo propositæ exclusio, quam Paulus contrariam exceptionem, seu exceptionis exceptionem vocat. (2)

Cur introducitur?

Actoris adjuvandi gratiâ, ne fortè ei noceat exceptio, à Reo inique proposita. (3) Semper enim Replicatio idcirco objicitur, ut exceptionem oppugnet, & resolvat: veluti cum pactus est aliquis
cum

(1) L. 42. §. 1. & l. 43. ff. de R. I. (2) L. 10. C. de exception. l. 2. §. 1. ff. eod. (3) L. 2. §. 1. de exception.

cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat; si conveniatur, excipit rectè: si tamèn postea in contrarium aliud pactum sit subsecutum de petendo, per Replicationem eliditur priùs pactum, & exceptio indè nata; quia hæc ratione pacti posterioris est injusta.

Quid replicationi opponitur?

Duplicatio, adjuvandi Rei causa, quæ si injusta videatur Actori, salva ei est *Triplicatio*. (1) Et si hæc nocere possit Reo, illi tunc concessa alia est exceptio ad excludendam Actoris triplicationem, quæ habita ordinis ratione *Quadruplicatio* dicitur. Cui deinceps opponitur *Quintuplicatio*: & sic deinceps multiplicantur nomina, donec aut Actor habeat quod objiciat, aut Reus, quo objectum diluat & elidat. Sed ne in infinitum procedatur litigando, Judicis erit modum ponere, finemque litigatoribus præscribere: cum infinitas sit vitanda; & refrenanda licentia in immensum evagandi, & sæpius facta repetendi quæ magis causam implicant, quàm explicant.

TIT. XV.

DE INTERDICTIS.

Sequitur de Interdictis, quia hæc vice Actionum habentur.

Quæ dicuntur interdicta?

Jure veteri interdictæ erant formulæ seu conceptiones verborum, quibus Prætor cum de possessione, aut quasi possessione, inter aliquos contendebatur, aliquid fieri jubebat, aut prohibebat quoad de proprietate judicaretur. (1) Quæ formulæ ex eo appellantur *Interdicta*, quod inter duos litigantes à Prætore dicerentur interim.

Hodiè verò sublatiis formulis, interdicta sunt actiones extraordinariæ de possessione, vel quasi possessione, à Prætore datæ. (2)

Dico esse *actiones*: quia hodiè, postquam judicia facta sunt extraordinaria, pro interdictis exercentur actiones, quibus summatim agitur causa possessionis, exactiori veritatis examine remisso ad petitorium.

Differuntne ab actionibus?

Differunt in multis, licèt actionum nomine veniant Interdicta. (3) Nam actiones partim sunt Civiles, partim Prætorix; Interdicta omnia Prætoria. Actiones alix in Rem, alix in Personam; Interdicta vi ipsa sunt personalia, licèt in rem scripta. Actiones mul-

TIT.

(1) §. Rursus diff. l. 2. §. 3.

(1) In pr. v. (2) §. 2. & §. fin. b. l. (3) L. 37. ff. de obl. & act.